



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij  
Francisci Lamberti Auenionensis**

**Lambert, François**

**Argentorati, 1525**

**VD16 B 3868**

Pars Qvinta. Quninto, Ionas à nautis interrogatus, ueritatem profitetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35983**

FRANC. LAMB. IN IONAM.

**N**ON putemus id factum aliqui, quam Dei consilio, ut sortes mitterentur, & per eas Ionas deprehenderetur. Dilexit eum Dominus, & noluit male perire, ideo haec omnia fieri uoluit. Nam nobis permettere, quæ perperam concupiscimus, maximum æternæ reprobationis indicium est. Sic consuevit Deus, prepedire electos suos, ne proprias cogitationes adimpleant. Non puto illos, iuste usos sorte, immo neque usi sunt aliqui, quam superstitione uana, ut gentiles & increduli. Verum is qui sortium temperator est, ex eis indicauit rei quam petebat ueritatem, non ut illorum faueret superstitioni, sed ut impleretur, quod de Iona fieri uolebat. Sic et Nabuchodonosor sortes temperauit in gloriam suam. Eze. 21. Proinde habetur Prover. 15. Sortes mittuntur in sinum & à Domino temperantur. Et cap. 18. Contradiciones dirimuntur, & potentes quoque dijudicant. De sortibus licitis atque illicitis, & qua ratione, & quando sit illis utendum, ac de uocatione Matthei per sortem, plene egimus, libello, de uocatione fidelium cap. 19. 20. 21. 22. & 23. Idcirco de illis nunc minime scripsimus.

P A R S . Q V I N T A .

Et dixerunt ad eum. Indica nobis, cuius causa istud malum sit nobis. Quod est opus tuum, quæ terra tua, et quo uadis, uel ex quo populo es tu? Et dixit ad eos. Nebreus ego sum, & domi-

& dominum Deum cœli, ego timeo, qui fecit mare & aridam. Et timuerunt uiri, timore magno. Et dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? Cognoterūt enim uiri, quod à facie Domini fugeret, quia indicauerat eis.

Deprehensus Ionas & interrogatus, respondit, non dubium quin plenus, quām hic scriptum sit, quod ex hoc aperte coniiciuntur, quod subiungitur eum illis indicasse, quod à facie Domini fugeret. Audierant quām magnus & potens est Dominus: uidebantq; hūc esse Prophetam eius, & quod Deo non adquiescendo perperam fecisset, agnoscabant. Propter catimuerunt uchementissime. In reparant quoq; illum, quod fugeret, dixeruntq;. Quid hoc fecisti? Quod di. Nostri eum omnia posse, & in terra & in mari: Qui ergo fieri potuit, ut tam imprudenter fugeres? Errasti admodum, sciens potentiam & uoluntatem eius, & illi nequitam adquiescens. Quomodo ita cecidisti, qui Propheta Dei es, & cuius est corripere eos, qui ipsi Deo parere nolunt?

Increpat uirum sanctum peccantem, sed sua errata, abominationes, & idolatriam, in seipsis nō reprobabant. Eiusmodi sunt, etiam nostro seculo, cæci multi, qui Dei Prophetarum quantumlibet minutula crimina taxat, & carpunt, obloquunturq; proinde de illis, suas autem impiates paruiducunt, et illarum obliuiscuntur, quasi nihil essent, imō nec ipsas iniustitijs habent. Sic insanita coniu

FRANC. LAMB. IN IONAM  
ta coniuratio Antichristi, contra Prophetas ueritatis.

P A R S   S E X T A .

Et dixerunt ad eum. Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? Quia mare ibat, & intumescebat super eos. Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à uobis. Scio enim ego, quoniam propter me, tempora hæc grandis, est super uos.

Quantumlibet nautæ uiderent Ionæ erratum, quia tamen audierant, eum esse Prophetam Dei, uolebant ab eo doceri, quid facturi erant. Timebant nullo consilio se maris tranquillitatem uisuros, nisi facerent quod Deus uolebat, nempe ut Jonas dimitteretur ē nauī, ut impleret Dei legationem ad Niniuitas. Quod illis erat difficilimum, eo quod longe essent à terra, & maris tempestas circa nauem, semper augebatur. Intumescebat enim super eos, ait textus. Recte super eos, quia non ita super alijs, qui erant in ceteris nauibus, ut Hebrewi dicunt. Proinde ab eo scire uoluerunt, quid facerent.

Tum ille cognoscens peccatum suum, & uidens quod propter eum maxime, tota nauis periclitabatur, compunctus animo & in domini spiritu, ait. Tollite me &c. Arbitror eum nesciuissime, quid de eo facturus erat Deus. Sed ita coangustatus undiq; & inlustratus à Domino, exhorruit crimen,